

P V I S

1 6 1 8



- I. Philastrii Catalogus Hæresium.
- II. D. Honorii de Hæresibus.
- III. D. Bugensæii distributio Methodica Historiæ passionis Christi.
- IV. D. Garzæi Tractatus Concionum Penitentiarum.
- V. D. Garzæi Delineatio Concionum Penitentiarum.
- VI. Basilii Magni Oratio ad Adolescentes.
- VII. Intimatio Jubilæi Evangelici.
- VIII. Theologorum Saxoniarum Epistola Invitatoria ad universos Theologos.
- IX. D. Bergii Professoris Francofurtensis Disputatio Theologica.
- X. M. Sachsii Disputatio adversus Meijnerum.
- XI. Montani Virga in Bermanum et Ungernium.
- XII. D. Pelargi Responsum ad Epistolam Schlusenburgii et Cramerii.
- XIII. D. Pelargi Responsoria ad Apostolica duo brevvia Schlusenburgii et Cramerii.
- XIV. Godefridi Disputatio de Abstracto et Concreto.
- XV. Pelargi Disputatio de Assumptione Christi.
- XVI. M. Wolgangi Theses de Justitia et Justificatione.
- XVII. D. Füsseli Disputatio de Deo.
- XVIII. M. Theopoldi Disputatio ex Dialocho Theodoret. Secundo.
- XIX. de Deo.
- XX. de Peccato.
- XXI. de Libertate in Conversione Homini Concurrente.
- XXII. de Justificatione.
- XXIII. de Bonis Operibus.
- XXIV. de Ecclesia.

Maa 15.



21

XX.

PROPOSITI- ONES

Ex Tertio Examinis Theologici Melan-
chthoniani Loco, qui est DE PECCATO,
defunitæ, illustratæ: &

*Adpiam ac placidam dissertationem in illu-
stri Soraborum Gymnasio proposita,*

PRAESIDE

M. JOHANNES THEOPOLDO, ECCLE-
siæ ad Nicolai, ut vocant, Pastore, & SS.
Theologiæ Professore.

RESPONDENTE

ERNESTO PRAETORIO SERVESTANO.

Calendis Maji, Hora 7. matutina.



SERVESTÆ,

Typis Zachariæ Dörfferi.

Anno 1612.





Propositiones ex Loco De Peccato.

I.

Locus de Lege Dei commodè excipit Locus de Peccato, cujus agnitio est ex Lege, quæ ex illo, ut privativè opposito, in collatione rectiùs intelligitur.

II.

Peccati vocem derivant à Pellicio, quod est, in fraudem induco, ut sit peccatus quasi pellicatus.

III.

Quidam dicunt, peccare propriè esse idem, quod à scopo aberrare, sicut Cicero Paradox. 3. Peccare, inquit, est tanquam transire lineas.

IV.

Peccatum Græcè dicitur *ἀμαρτία*, quasi *μὴ ἀρετῶν*, hoc est, non congruens, ab *ἀσθεντιῶ*, & Verbo *ἀρετῶν*.

V.

Ἀμαρτάνειν autem quibusdam placet compositum esse ex *α* privativo, & Verbo *μαρτάνειν*, quod est, scopum præfixum assequi seu attingere, ut peccare sit à scopo aberrare.

VI.

Peccatum est, quicquid est contra Legem & Voluntatem Dei, secundum illud, 1. Joh. 3. v. 4. *ἡ ἀμαρτία ἐστὶν ἀνομία*.

VII.

Cum Definitione Peccati, ex Euangelistâ Johanne jam allatâ, congruit Melanchthoniana hæc: Peccatum est Defectus, vel Inclinatio, vel Actio contra Legem DEI, offendens Deum, & commens iram æternam, nisi fiat Remissio propter Filium Mediatorem.

VIII.

Hinc manifestum est, Deum non esse Autorem Peccati, ut qui illud maximè aversetur, secundum illud Psalm. 5. v. 5. Deus non volens iniquitatem tu es.

IX.

Cumq; Peccatum sit defectus & privatio boni in naturâ hominis



nis, (de hujus enim peccato nunc agimus, non de lapsorum etiam angelorum) de substantia ejus id minimè esse, consequens est.

X.

Peccatum aliud nominatur Originale, aliud Actuale.

XI.

Peccatum Originale est reatus propter Adæ lapsum, & propter privationem lucis divinæ, & firmæ agnitionis Dei, in mentibus hominum, & propter aversionem voluntatis à Deo, & propter contumaciam cordis, quæ mala secuta sunt lapsum Adæ, in natura hominum, & sunt inimicitia adversus DEUM, & damnata à DEO.

XII.

Hoc malum Anselmus appellavit carentiam justitiæ Originalis debitæ inesse hominibus,

XIII.

Hugo idipsum definivit ignorantiam de DEO in mente, & inobedientiam in voluntate & corde.

XIV.

Alij uno nomine hæc mala omnia nominârunt Malam Concupiscentiam: Quia Paulus sic loquitur, Rom. 7. v. 7. Concupiscentiam non nôssem, nisi lex dixisset: Non Concupisces.

XV.

Peccatum Actuale est omnis actio pugnans cum Lege, tum in mente, ut dubitationes de DEO, tum in voluntate & corde, ut incendia malorum affectuum, tum in membris externis, ut externæ actiones pugnantes cum Lege Dei.

XVI.

Peccatum Actuale (quod ex Originali, tanquam fonte, promanat, cumq; illo conjunctum est) ab alijs aliter dividitur, nec nostri propositi est, nunc omnes illius distinctiones colligere & excutere.

XVII.

Noster Autor hoc in Loco id solummodò dividit in Regnans seu Mortale, & non Regnans, quod usitatè nominatur Veniale, quam distinctionem non simpliciter, sed diverso electorum & reproborum respectu, admittimus.

XIIX.

Electis enim per CHRISTUM quidem omnia peccata,
quæ

quæ in ipsos cadere possunt, fiunt Venialia, tam Originalia, quam Actualia: Reprobis verò contra omnia sunt Mortalia.

XIX.

Per se autem peccatum nullum est Veniale: cùm quodvis delictum mortem æternam mereatur.

XX.

Adhibito igitur diverso illo respectu, Regnantia seu Mortalia peccata dicuntur omnia peccata in non renatis seu reprobis, Originale & Actualia, Interiora & Exteriora, quæ ideo dicuntur Mortalia, quia non renatus seu reprobus, propter illa omnia, reus est iræ Dei & pœnæ æternæ, id est, ordinatus ad pœnam æternam, sicut Joh. 3. dicitur, v. 36. Qui non credit Filio, non videbit vitam: sed ira DEI manet super eum.

XXI.

Peccatum verò non Regnans, quod nominatur Veniale, id est, propter quod non totaliter & finaliter amittitur Gratia, Spiritus Sanctus, & Fides, est in renatis seu electis in hac vita malum Originis, & dubitationes, & incendia malorum affectuum: Quibus tamen repugnant renati, ne pertinaciter ruant contra Conscientiam, & dolent propter has sordes, & credunt, se propter Mediatorem Deo placere, tegi has sordes, & gratiam exuberare supra peccatum.

XXII.

Unde apparet, Peccatum Regnans seu Mortale, in electos, propriè loquendo, non cadere.

XXIII.

Impropriè verò ipsis tribuitur à nostro Authore, quando, propter atroces lapsus, aliquo modo, & ad tempus, electi videntur reiecti à Deo, & peccatum existimatur in ipsis regnare, ut exempla Aaronis, Davidis, Petri, ostendunt.

XXIV.

Hinc etiam facilè est intelligere, quòd electi contristent quidem Spiritum Sanctum, propter atrociora delicta, non tamen planè illum excutiant, sed saltem quædam ejus dona ad tempus amittant.

A 3

Hacte-

XXV.

Haec tenns de peccati in Regnans seu Mortale, & non Regnans seu Veniale, distinctione, quæ nititur testimonijs Scripturæ, Rom. 6. v. 12, Rom. 8. v. 13. Col. 3. v. 6. &c.

XXVI.

Porro, etiam ita potest dividi Peccatum, ut aliud sit contra Conscientiam, aliud verò non.

XXVII.

Peccatum contra Conscientiam est, quod à sciente, *ἐκ προοιου* *ῥεσιως*, seu ex Proposito, committitur.

XXVIII.

Non contra Conscientiam, quod committitur ex infirmitate & ignorantia non affectata. 1. Tim. 1. v. 13,

XXIX.

Insuper Peccatum aliud dicitur Remissibile, aliud Irremissibile, quod etiam *κατ' ἐξοχήν* appellatur peccatum in Spiritum Sanctum, ad Mortem, & Blasphemia in Spiritum Sanctum. Matt. 12. v. 31. 32. 1. Joh. 5. v. 16.

XXX.

Peccatum Remissibile est, cuius pœnitent delinquentes, ita ut verâ conversione ad DEUM confugiant, & per Fidem in CHRISTUM veniam consequantur.

XXXI.

Peccatum Irremissibile est, cuius non verè pœnitent delinquentes, & est cum primis agnitæ veritatis de DEO, ejusq; voluntate & operibus (de quâ testimonio Spiritus Sancti mentes certò edoctæ & convictæ sunt) non ex metu infirmitatis, sed destinato consilio & pertinaci odio veritatis, animoq; hostili adversus eandem suscepta abnegatio & oppugnatio, propter quam homo à DEO punitur cæcitate finali & totali, ut nunquam resipiscat in hac vita, ac proinde nec Remissionem consequatur.

XXXII.

Dicitur autem Irremissibile, non, quòd gravitate suâ meriti CHRISTI dignitatem superet, quod est antecellentius omnibus peccatis, ut Paulus rectè dixerit: Ubi auctum est peccatum, ibi superabundavit gratia: Sed, quia committitur à sciente & convicto, ac conjunctum est cum odio agnitæ veritatis, nec non cum perseverantia

verantia in pertinacia & irrefipifcentia finali. Sine Refipifcentia
verò nulla fit Remiffio.

XXXIII.

Dicitur ad Mortem, καὶ ἐξοχήν, quòd maximè & inevitabili-
ter mortem mereatur æternam, & quòd in hoc peccato omnes
certò moriantur, quicumq; illud committunt: quia non agunt pœ-
nitentiam, juxta dicta, ad Hebr. 6. v. 4. 5. 6. 7. 8. Hebr. 10. v. 26. 27. 28.
29. ad Tit. 3. v. 10. 11. 1. Tim. 4. v. 1. 2. 3.

XXXIV.

Dicitur in Spiritum Sanctum, non ideo, quòd Spiritus Sanctus
offendi à quoquam possit, ut non simul in Patrem & Filium peccetur:
(Nam, cum fit æqualis gloria & coæterna majestas Patris, Filij
& Spiritus Sancti, non potest una Trinitatis persona offendi, quin
peccati injuria in totam Divinitatem redundet) sed quia cœlestis
veritatis patefactio est opus Divinitatis, quod immediatè fit per
Spiritum Sanctum: atq; ideo, qui scientes & volentes huic repu-
gnant, contra omnes quidem tres Deitatis Personas, sed singulari
modo, & καὶ ἐξοχήν, in Spiritum Sanctum, hoc est, in propriam &
immediatam ipsius operationem sunt blasphemi.

XXXV.

Dicitur peccatum Blasphemiae, non cujusvis, sed Blasphemiae
in Spiritum Sanctum, juxta dictum, Matth. 12. v. 31. Propterea dico
vobis: Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus: Bla-
sphemia verò in Spiritum Sanctum non remittetur hominibus.

XXXVI.

De hoc peccato non temere est pronunciandum, nec nisi à
posteriori de eo judicandum: quia non sumus καρδιογνώσται.

XXXVII.

Deniq; peccatum aliud dicitur per Se, aliud per Accidens.

XXXVIII.

Peccatum per Se, sive propriè, & suo genere, sunt omnia pec-
cata, quæ legi Dei adversantur, & ab eòdem prohibentur & da-
mnantur.

XXXIX.

Peccatum per Accidens sunt actiones non renatorum & hy-
pocritarum, à DEO quidem mandatæ, ipsi tamen displicentes,
propter



propter aliud, videlicet, quia fiunt sine Fide, & Conversione ad
DEUM, ut, si hypocrita audiat Verbum DEI, invocet DEUM,
non tamen serio, sed specietenus, ore, non corde. Esa. 29. Matth. 15.
Rom. 14. Heb. 11,

F I N I S.





Jh 4245



X 22MA38

VD 17 AC





21



PROPOSITI- ONES

Theologici Melan-
i est DE PECCATO,
Illustratæ: &

*dissertationem in illu-
gymnasio proposita,*

INSIDE

NEO POLDO, ECCLE-
siant, Pastore, & SS.
Professore.

IN DENTE

RIO SERVESTANO.

hora 7. matutina.



ESTÆ,

ria Dörfferi.

1612.

